

2  
3  
CLA.

DISSERTATIO  
DE CULTU ET INVOCATIO-  
NE SANCTORUM

QUAM  
PRÆSIDE

F. PAULO HENSEN

ORDINIS F. F. MINORUM S. FRANCISCI RECOL-  
LECTORUM SS. THEOLOGICÆ DOGMATICÆ  
PROFESSORE P. ET O.

PROPUGNABUNT

RELIGIOSI EJUSDEM ORDINIS FRATRES

F. ADALARIUS VAN DER BANK,) *Sacerdotes*  
F. HIERONYMUS DUMONT,) *Sacerdotes*  
F. ADOLPHUS CLEMENT, *Clericus.*

IN AULA ACADEMICA PUBLICA

DUSSELANA

MANE AB HORA OCTAVA

DIE 2<sup>a</sup> SEPTEMBRIS ANNO MDCCLXXXIX.



DUSSELDORPII,

Typis Francisci Friderici Stahl, Aulæ Typographi

## CONTROVERSIA Ima.

*De Cultu Sanctorum.*

§. I. Circa cultum sanctorum alii per excessum, alii per defectum errarunt hæretici. Collyridiani in arabia circa Annum 373. Beatam Mariam Virginem divinis prosequerantur honoribus, & in ejus nomen collyridem panis per mulieres offerebant, ut refert S. Epiphanius Hær. LXXIX. Contra Manichæi omnem sanctorum cultum abominantes gentilium calumniam renovabant & Teste Augustino Catholicis oggerant, quod pro Diis gentium Martyres invexissent. Miramur verò nequaquam, quod ex immaculato Ecclesiæ gremio prodierint, qui excusso suavissimo Christi Jugo arma sua iniqua strinxerint adversus piam sanctorum venerationem, cum vitam duxerint a virtutibus ac heroicis eorum exemplis penitus abludentem: Sic Lutherus in lib. ad Waldenses, Calvinus Lib. III. Institut. Cap. XX. eorumque Sectatores acerrime contendunt, superstiosum esse ac impium sanctorum cultum, quem eis Catholici impendunt, eosque idcirco turpissimæ idololatriæ reos ore illoto pronuntiare non erubescunt. Interim quotiescunque hæretica pravitas machinata fuit piam ac laudabilem erga sanctos affectionem ac reverentiam ex cordibus fidelium eradicare, palmam amisit. Quovis enim sæculo extiterunt ferventes ac idonei  
fidei

fidei testes & depositarii, qui damnarent impostores; ac sese novitati opponerent. Oportebat quidem esse hæreses, ut veritas eo magis elucesceret; ast illas sine contradictione oriri nunquam conveniebat: ne ab antiquitate crederentur communicatæ, sed ut noviter easdem inventas esse & proprio Marte procusas statim pateret.

§. II. Antequam vero scopum quæstionis attingamus, quædam prælibanda esse adhuc duximus. Cultus, seu adoratio in genere est actus, quo aliquem veneramur propter ejus excellentiam. Porro duplex excellentia considerari potest, *increata* quæ soli Deo ceu primo rerum omnium principio, supremoque Domino propria. *Creata* alia, quæ aut ex donis naturalibus v. g. Scientia Nobilitate aut ex donis supernaturalibus v. g. gratia sanctificante efflorescit, qua homines filii Dei ac Christi cohæredes constituuntur. Diversa hinc oritur adoratio, quam Theologi in latriam, Duliam, Hyperduliam & politicam dispartiuntur. *Latria* est honor supremus soli Deo debitus, in summæ illius Majestatis, summi-que in omnia Domini Testimonium. *Dulia* est obsequium, quod deferimus sanctis propter supernaturales dotes a Deo ipsis concessas, quibus movemur ad supernaturalem ipsorum excellentiam, nostramque submissionem testificandam. *Hyperdulia* est obsequium Beatæ Mariæ Virgini exhibitum propter eximiam Maternitatis divi-  
næ

næ dignitatem & specialia, quæ inde divinitus in eam defluerunt dona. Quare Hyperdulia potius est species quædam honoris, quem duliam vocamus, præstantior tamen: sicut Mariæ prærogativæ dignitatem & excellentiam sanctorum excedunt. *Politica* adoratio est obsequium alicui exhibitum ob dignitatem aut excellentiam civilem v. g. ob dignitatem regiam &c. Porro omnis adoratio aut est *absoluta*, quæ alicui exhibetur propter Excellentiam sibi propriam & inhærentem: aut *respectiva*, quam alicui deferimus ob excellentiam alterius, ad quem specialem aliquam relationem habet.

§. III Porro observandum I. Sermonem hic non esse de cultu qualicunque ac mere civili sanctis exhibendo. Facile enim concedunt Protestantes, eos ob vitæ sanctimoniam qualicunque cultu dignos esse, quo præstantium virorum memoria honoratur: negant vero fas esse, eis cultum sacrum exhibere, certas preces in eorum honorem persolvendo. II. Sermonem non esse de supremo patriæ cultu, ut impudentissime contra propriam conscientiam nobis objiciunt Novatores; sed de cultu longe inferiori nimirum Dulia. Quis enim Catholicorum ignorat, sublimiori præ sanctis cultu Deum esse adorandum. III. Nec agitur impræsentiarum de veneratione huic vel illi sancto in particulari impendenda, sed generatim de cultu sanctorum  
in

in cœlo regnantium, quo nomine intelliguntur Beatissima Virgo Dei Mater, sancti Angeli, alique cœlites. Status igitur quæstionis in eo tantum volvitur, num sancti licite & honeste à nobis cultu sacro colantur, qui dulciæ vocatur, cum animi demissione & submissione erga illos ob eorum excellentiam supernaturalem.

*Sancti in cœlis regnantes licite ac recte ab Ecclesia cultu sacro coluntur.*

§.IV. Prob. I. Ex Scripturis, quæ Angelos sub humana specie conspicuos cultu sacro honoratos fuisse testantur. Genes. Cap. XIX. v. 1. veneruntque duo Angeli sodomam vespere, & sedente Lot in foribus civitatis. Qui cum vidisset eos, surrexit, & ivit obviam eis, adoravitque pronus in terram. Josue Cap. V. v. 13. Cum autem esset Josue in agro urbis Jericho, levavit oculos, & vidit virum stantem contra se, evaginatam tenentem gladium, pervexitque ad eum & ait: noster es, an adversariorum? qui respondit: nequaquam: sed sum princeps exercitus Domini, & nunc venio. Cecidit pronus in terram & adorans, ait: quid Dominus meus loquitur ad servum suum? quibus locis, adoratio, non designat supremum patriæ cultum, quem Angeli continuo rejecerunt, quoties suspicio esse potuit, ane offerretur, ut patet ex Judicum Cap. X III. v. 16. ubi dixit Angelus ad Manue: si vis holocaustum facere, offer illud Domino. Sacer tamen erat cultus, quem Lot &

& *Josue* Angelis impenderunt, quo se excellentiam eorum supernaturalem revereri contestabantur. Cum igitur sancti dotibus pariter supernaturalibus præfulgeant; consequitur eundem & ipsis venerationis cultum posse exhiberi.

Nec refert: quod Angelus Apoc. Cap. XIX. delatum sibi a S. Joanne honorem acceptare noluerit. Non enim hunc ut simpliciter illicitum respuit; sed ad contestandam observantiam suam erga tantum virum, natura quidem minorem, dignitate tamen Apostolatus, sanctitate, & gloria Martyrii sibi non imparem, fors etiam Majorem, ab eodem sibi reverentiam exhiberi noluit. Porro S. Joannes, Apoc. Cap. XXII. Angelum iterum adorare tentavit. Atqui ita constans in proposito ipsum adorandi non fuisset S. Apostolus, si hoc adorationis, id est, cultus Sacrigenus Angelo delatum, illicitum ac impium esse intellexisset.

§. V. Prob. II. Ex traditione Ecclesiæ. Quidquid Ecclesia vel a primis incunabilis semper observavit, id fideles, quibus sana morum regula per Ecclesiam subministranda est, citra ullam intemeratæ Religionis jacturam observare possunt; jam vero cultum sanctorum a prioribus sæculis semper invaluisse declarant tum publica Pastorum Ecclesiæ oracula, tum tot tantaque Patrum sive scriptis, sive exemplis cultum sanctorum docentium testimonia, ut nulla prorsus effugia, nulla iis declinandis diverticula recentibus Agiomachis superflint. Egregium enimvero laudabilis  
sancto.

sanctorum cultus monumentum suppeditat Concilium Gangrense Sæculo IV. in Paphlagonia celebratum, quod Can. XX. ita decernit: *Si quis per superbiam tanquam perfectum se existimans, conventus, qui per loca & Basilicas sanctorum Martyrum fiunt, accusaverit, vel etiam oblationes, quæ ibidem celebrantur, spernendas esse crediderit, memoriasque sanctorum contemnendas putaverit: anathema sit.* Smyrnenfis Ecclesia in Epist. Encyclica de Martyrio S. Polycarpi. *Martyres. inquit, tanquam discipulos & imitatores Domini merito amore prosequimur, ob eximiam eorum benevolentiam.* Suffragatur authoritas Patrum. S. Justinus Martyr. Apologia II. pro Christianis scribit. *Hunc ipsum vero, & ab eo profectum filium, a quo ista perdocti sumus: nec non aliorum ipsum sequentium & ad ejus conformatorum similitudinem, bonorum scilicet Angelorum exercitum: Spiritum quoque Propheticum colimus & adoramus, sermone & veritate honorem deferentes.* S. Cyrillus Alexandrinus lib. VI. in Julianum sic loquitur: *Sanctos porro Martyres neque Deos esse dicimus, neque divino cultu illos adorare solemus, sed affectus & honoris. Quin potius summis honoribus illos ornamus.* . . . Theodoretus Serm. VIII. adversus gentiles. *Nos, o vivi, nec sacrificia, nec libamina Martyribus offerimus: sed eos tanquam divinos & Deo Charos honoramus. Tanto enim Creatorem, salvatoremque suum amore prosecuti sunt, ut jugulari pro ipso optabile duxerint.* S. Ambrosius  
sius

sius Serm. VI. *quisquis ergo honorat Martyres, honorat & Christum: & qui spernit sanctos, spernit & Christum.*

Agiomachi hisce monumentis pro cultu sanctorum ex antiqua Ecclesiæ consuetudine depromptis minime acquiescentes, quæcunque ad speciem contraria momenta arripiunt, ut veneranda Patrum oracula diluant: Imo *soli Deo* (inquit Apostolus I. Tim. 17.) *honor & gloria*: ergo solus Deus cultu sacro colendus.

2do. Concilium *Laodicenum* Can. XXXV. Angelorum cultum damnat: *Quod non oporteat Christianos, relicta Dei Ecclesia, abire & Angelos nominare, vel congregationes facere, quod est prohibitum. Siquis ergo inventus fuerit, huic occultæ idololatriæ vacare, sit anathema.*

3tio. Catholici non possunt colere sanctos sine latria. Nam S. Augustinus duliam æque ac latriam Deo deberi docet lib. II. Quæst. Super Exodum Num. XCIV.: *Dulia debetur Deo tanquam Domino: latria vero nonnisi tanquam Deo.* Quam bella argumenta! firmiora vero arma Agiomachis non suppetunt ad confirmatam continua Ecclesiæ praxi venerationem sanctorum impugnandam. Unde R. ad I. mens Apostoli est, ut supremum latriæ cultum soli Deo vindicet; sed non excludit cultum inferioris ordinis, quo sanctos prosequimur; siquidem ait: *Gloria & honor omni operanti bonum* (Rom. II.) sicut ergo, dum I. ad Tim. 6. dicitur de Deo, *qui solus habet immortalitatem*, sensus est, solum Deum certo genere esse immortalem, quin propterea negetur, etiam Angelos & animas quodam modo immortales esse; sic pariter Apostolus his verbis (*soli Deo honor & gloria*) non quemlibet, sed soli Deo proprium honorem duntaxat a creaturis sub-



submovere intendit. Ad II. R. *Laodicensi* Patres Can. LI. sanctorum Martyrum cultum, festos Dies, & memoriam approbantes, non potuere sanctorum Dei Angelorum venerationem improbare, qui pari erga nos cum Martyribus charitate fervent. Quemadmodum itaque Canone XXXIV. illos anathemate damnant, qui relictis sanctis Christi Martyribus in caelo regnantibus, debitum illis cultum ad falsos haereticorum Martyres transferunt: ita Canone XXXV. in illos anathema contorquent, qui relictis sanctis Angelis Dei debitum illis cultum traducunt ad rebelles Angelos, eosque venerantur ad imitationem Saturnini, Basilidis, ex Simonis Magi colluvie prodeuntium. Ad III. R. N. A. Sane S. Augustinus totus ab eo alienus est: loco enim citato nequaquam negat duliam creaturis posse communicari; sed tantum asserit, Deo ob imparticipatam supremi Dominii Excellentiam deberi duliam illa sanctorum longe Excellentiozem.

§. VI. Prob. III. Ratione. Ipsimet Agiomachi, cultum politicum, quo Principes, Reges Magistratus prosequimur, repudiare nequeunt, nisi se infensissimos humanæ societatis hostes palam profiteantur: quo itaque jure piam fidelium consuetudinem sanctos sacro cultu venerandi arroddunt, cum fideles ob supernaturales ipsorum prærogativas omnibus naturæ bonis anteponeudas ad eos venerandos excitentur, quos Deo nunc tenacissimo charitatis vinculo devinctos noverunt.

Ast verentur, ne cultu sanctorum honor Dei jacturam patiatur. Præclari enimvero honoris divini Zelatores! Tantum abest, ut latria Deo debita

debita per duliam sanctorum violetur, ut e  
contrario Deus ægerrime ferat, sanctos suos a  
nobis non honorari, aut contemni, juxta illud  
*Luceæ Cap. X. qui vos spernit, me spernit.*

## CONTROVERSIA SECUNDA.

*De Invocatione Sanctorum.*

§.VII. **E**xtra omnem dubii aleam versa-  
tur. I. Sanctos tanquam authores  
divinorum beneficiorum invocandos non  
esse, ut nobis bona sive naturalia, sive super-  
naturalia ad beatitatem consequendam me-  
dia largiantur; hæc enim omnia solus Deus  
bonorum omnium largitor nobis conferre  
potest. II. Nullum extare præceptum di-  
vinum, quo fideles ad invocationem sanc-  
torum adstringantur. Usus enim, aut  
non usus invocationis sanctorum ad disci-  
plinam spectare concedunt catholici: quæ-  
stio itaque fidei catholicos inter & Nova-  
tores in eo versatur, utrum pie etiam &  
utiliter sancti cum Christo in cœlis regnan-  
tes invocari possint, ut sint nostri apud  
Deum intercessores, nobisque tanquam  
mediatores secundarii vel peccatorum ve-  
niam, vel corporis sanitatem aut alia bona  
orationibus suis imperrent.

§.VIII. *Licita & utilis est Sanctorum invocatio.*

**P**rob. I. Authoritate scripturarum. Ci-  
tra summæ temeritatis notam impro-  
bari nequit id, quod a viris eximia pie-  
tate conspicuis factitatum esse & quidem  
sine ulla reprehensione scripturæ referunt;  
atqui

atqui multa in scripturis reperire est exem-  
pla hominum pietate insignium, qui An-  
gelos invocarunt. Sic. gen. XXXII. Jacob  
cum Angelo luctatus benedictionem ab eo  
petiit & impetravit. gen. XIX. Angelos  
precatuſ est *Lot* & obtinuit, ne urbs se-  
gor igne de cœlo miſſo interiret. Quin non  
Angeli modo invocati ſunt a fidelibuſ in  
veteri teſtamento, ſed ſanctorum etiam  
merita apud Deum fuerunt commemorata.  
Danielis Cap. III. Sancti tres Juvenes in  
fornace Babylonica orarunt. *Neque auſe-  
ras miſericordiam tuam à nobis, propter Abra-  
ham dilectum tuum, & Isaac ſervum tuum,  
& Iſrael ſanctum tuum.* Ubi vides, Abra-  
ham, Isaac & Jacob adhiberi tanquam in-  
terceſſores apud Deum. Neque fruſtra apud  
Deum allegata fuerunt Prophetarum &  
Patriarcharum merita; ait enim Deus IV.  
Regum Cap. XIX. *Protegam urbem hanc,  
& ſalvabo eam propter me & propter David  
ſervum meum.* Ergo utilis & laudabilis eſt  
Angelorum ac proinde ſanctorum invo-  
catio, quos ob ſummas virtutes, quibus  
cæteris mortalibus præſtitere, ſummum  
etiam honorem, dignitatemque apud  
Deum conſecutos eſſe novimus.

§.IX. Prob. II. Authoritate Patrum, quo-  
rum ſenſa de invocatione ſanctorum indu-  
bitata ſantiquitatis monumenta pandunt.  
Eusebius Cæſareenſis lib. XIII. Præparat.  
Evang. nos, inquit, *quotidie id faciſtamus:  
nam veræ pietatis, ut Dei amicos honorantes,*  
ad

ad monumenta quoque illorum accedimus, vota-  
taque ipsis facimus tanquam viris sanctis, quo-  
rum intercessione non parum apud Deum nos  
juvari profiteamur. S. Athanasius Serm. in  
Evangelium de Deipara sub finem: *incli-  
na aurem tuam, Maria in preces nostras; &  
ne obliviscaris populi tui. Ac infra: intercede  
Hera, & Domina, & Regina, & Mater Dei  
pro nobis. Egregie more suo Leo magnus  
sermone in natalem Ss. Petri & Pauli. Sicut  
autem & nos experti sumus, & nostri proba-  
vere Majores, credimus atque confidimus, in-  
ter omnes labores istius vitæ, ad obtinendam  
misericordiam Dei semper nos specialium pa-  
tronorum orationibus adjuvandos, ut quantum  
propriis peccatis deprimumur, tantum Aposto-  
licis meritis erigamur.*

§. X. Probl. III. *Authoritate Conciliorum.*  
In Con. Chalcedonensi. Aët. II. Patres con-  
clamarunt: *Flavianus post mortem vivit.*  
*Martyr pro nobis oret.* Ergo temporibus  
Concilii Chalcedonensis receptissima erat  
in Ecclesia sanctos invocandi consuetudo,  
alias in publicam illam Exclamationem non  
erupissent concilii Patres. In Nicæno II.  
Generali septimo sic hortantur Patres:  
*cum timore Dei omnia agamus, postulantes in-  
tercessiones incontaminatæ Deiparæ, & semper  
Virginis Domine nostræ: item sanctorum An-  
gelorum, omniumque sanctorum.* His accedit  
Authoritas Tridentini, quod Sess. XXV.  
in decreto de invocatione sanctorum Epis-  
copos omnes docere jubet: *Sanctos, una  
cum*

*cum Christo regnantes, orationes suas pro hominibus Deo offerre; bonum atque utile esse suppliciter eos invocare; & ob beneficia impetranda à Deo per filium ejus Jesum Christum Dominum, qui solus noster Redemptor & Salvator est, ad eorum orationes, opem, auxiliumque confugere...*

§.XI. Prob. IV. Miraculis plurima ad invocationem sanctorum miracula patrata esse referunt Ss Patres: ut merito dixerit S. Hilarius, libro contra Constantium, esse, quod ipsis gentilibus gratularentur Christiani: illorum quippe scvitia factum est, ut innumera beneficia per Martyrum intercessionem in militantem Ecclesiam redundarent. Plus crudelitati vestræ, inquit, Nero, Deci, Maximiane, debemus; diabolum enim per eos vicinus: sanguis ubique beatorum Martyrum exceptus est: dum in his demones mugiunt, dum ægritudines depelluntur, dum admirationum opera cernuntur. S. Augustinus de prodigiis ad invocatioem S. Stephani Protomartyris in Africa patratis lib. XXII. de Civit. Dei Cap. VIII. scribit: Si miracula sanitarum, ut alia taceam, ea tantummodo velim scribere, quæ per hunc Martyrem gloriosissimum Stephanum facta sunt in Colonia Calamensi & in nostra, plurimi consiciendi sunt libri: nec tamen omnia colligi poterunt, sed tantum de quibus libelli dati sunt, qui recitarentur in populis.

Ad

Ad allegata pro sanctorum invocatione momenta penitus ora sua occluderent Novatores, nisi inveteratum adversus Ecclesiam Catholicam odium concepissent & cavillandi propositum, quidquid in fidelibus virtutis ac sanctatis spirat odorem. Unde replicant I. Christus solum Deum orandum esse, nulla sanctorum facta mentione, ita docet: sic ergo vos orabitis, Pater noster, qui es in caelis &c. (Matth. VI.) II. Ad quid invocatio sanctorum, cum ipsi preces nostras non audiant. Ecce nodum gordium, quem nobis dissolvendum objiciunt. Ast minime trepidamus. R. Itaque ad I. imo Ergo cum Christus solum Patrem invocare nos docuerit, nemini fas erit, invocare filium, aut spiritum sanctum. Dein siquid ponderis huic argumento ineffet: non potuisset Apostolus citra culpam hortari fideles, ut pro eo preces funderent; siquidem in oratione Dominica nulla fidelium facta est mentio. R. II. Christus nec docet solum Deum esse orandum, nec quis ab iis orandus sit, sed quid & quomodo orare debeant, nimirum petenda esse, quae ad Dei gloriam, aeternam nostram salutem, vitamque temporalem pertinent: sed ita ut Dei gloria, aeternaque nostra salus primum in orationibus nostris locum habeant. Ad II. R. quamvis sancti preces nostras non audirent, possent tamen orare pro omnibus illis speciatim, qui ipsos invocaverint. Ast falsum est & illud, quod sancti preces nostras non audiant. Quis enim affirmare audeat, Deo deesse modum, quo preces nostras sanctis manifestet, qui toties abscondita futura Prophetis revelavit.

*Reflexio*

**C**um tantae sit utilitatis invocatio sanctorum; quanto igitur devotionis studio fideles mutuo christianae charitatis vinculo colligati sese excitent

tent ad eos; invocandos, qui teste S. Hieronymo  
in lib. adversus vigilantium: *Charitate in cælis  
longe amplificata, cum nihil sibi amplius habeant  
postulandum, toti & sponte nostris miseris consu-  
lunt.* Porro cum rebus etiam optimis quandoque  
humana perversitas vel ignorantia abutatur, Pa-  
stores populos sibi commissos sedulo moneant,  
ne sanctorum cultum, unde tot fructus perci-  
pere possint, suam in perniciem detorqueant. Duo  
autem potissimum vitia declinanda sunt. imo  
caveant, ne sanctos ita invocent, ut paulatim  
suavis Christi salutis nostræ Authoris memoria  
in iis exarescat. Tanquam certissimum enim Ec-  
clesia tenet illud Augustini effatum: *Oratio, quæ  
non fit per Christum, non solum non potest delere  
peccatum, sed etiam ipsa fit peccatum.* 2do Mo-  
neantur fideles, ne præ nimia in sanctos confi-  
dentia sibi persuadeant, se non morituros, quin  
in extremo vitæ termino Sacramentis muniti pœ-  
nitentiam egerint, si certo cuidam sancto cultum  
impenderint assiduam, licet cæteroquin disruptis  
humanæ pudicitie repagulis Epicuri de grege  
porci fuerint. Infixam animo teneant fideles ce-  
lebrem Augustini sententiam. *Martyres honorare  
& non imitari, nihil aliud est, quam mendaciter  
adulari.* Cæterum non capimus, quo jure qui-  
dam contendant, ad abusus præcavendos omnes  
vix non sanctorum imagines relicta Christi effigie  
& templis submovendas esse. Quorsum hi colli-  
ment, dijudicandum relinquimus ei, qui renum  
& cordium scrutator est Deus.

### *Dogmata Fidei Catholicæ.*

- I. Existit Deus unus in natura, Trinus in Per-  
sonis.
- II, Spiritus sanctus est verus Deus, qui a Pa-  
tre & Filio procedit utrique consubstantialis.
- III, Chri-

- III. Christus qua verbum per æternam generationem a Patre procedit verus Deus Patri consubstantialis.
- IV. Christus verum corpus assumpsit, non phantasticum, fuit vere doloribus obnoxius.
- V. Christus natus ex Maria Virgine homo factus est.
- VI. Beatissima Virgo Maria vere Mater Dei dicenda est.
- VII. In Christo unica tantum datur persona nimirum divina; duplex vero natura divina & humana.
- VIII. Christus non pro solis prædestinatis mortuus est.
- IX. In statu naturæ lapsæ datur gratia vere sufficiens, quæ relate etiam ad præsentis circumstantias, voluntati veram confert potentiam elicendi actum salutarem & effectu suo destituitur ex culpa voluntatis.
- X. Ad omne opus salutare rite concipiendum & perficiendum necessaria est gratia interna supernaturalis.
- XI. Ad omnia omnino peccata levia diu vel toto vitæ diuturnioris tempore vitanda necessariae sunt gratiæ actuales speciales & extraordinariæ.
- XII. Datur gratia efficax, quæ non aufert hominis libertatem, ut actus boni ac salutares vere sint merita hominis justis, gratiæ cooperantis.
- XIII. Bonum atque utile est Sanctos colere & invocare.
- XIV. Justificatio hominis peccatoris adulti non fit sine conversione cordis, nec per favorem Dei mere extrinsecum.

O. S. C. S. M. E.



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

**TIFFEN** Color Control Patches © The Tiffen Company, 2007

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
Light Blue	Light Cyan	Light Green	Light Yellow	Light Red	Light Magenta	White	Light Skin	Light Gray
Dark Blue	Dark Cyan	Dark Green	Dark Yellow	Dark Red	Dark Magenta	White	Dark Skin	Dark Gray

**TIFFEN** Gray Scale © The Tiffen Company, 2007

A	1	2	3	4	5	6	M	8	9	10	11	12	13	14	15	B	17	18	19
		R	G	B			W		G		K			C	Y		M		